



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

19. Sub nomine generalis Vicarii Episcopi, quinam veniant præter
Vicarium propriè ac specialiter talem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

teras Apostolicas, quæ Officiali inscribuntur, accipiet. Laym. l. c. citans Gl. in cit. Clem. v. principali. & v. foraneo. Sbroz. l. 2. q. 29. Garc. de benef. p. 5. c. 8. n. 36. & 120.

Questio 18. Quibus præterea nominibus veniat Vicarius generalis?

Respondeo: Imprimis venit nomine Ordinarii. Rosa loc. cit. num. 21. ubi: Ordinarii nomine pro certo tenendum est, quod venit Episcopus ac ejus Vicarius seu Officialis generalis. Laym. in c. cum in generali. de off. Vicar. in 6. n. 9. Sbroz. l. 1. q. 2. n. 16. Paris. de resign. l. 3. q. 11. num. 22. citans quam plurimos alios. Item intelligi quandoque debet nomine Episcopi & diocesani, ut in casu Trident. Sess. 23. c. 15. ubi de approbatione Confessariorum (quam à Vicario etiam fieri posse, probabiliter docet Suarez. Tom. 4. d. 28. sect. 7.) Laym. loc. cit. & in casu Trident. Sess. 25. c. 3. ubi agitur de excommunicatione intentari solita ad inventorum restitutionem faciendam, ita ut licet dicatur: & à solis Episcopis promulganda: eo tamen nomine etiam comprehendatur Vicarius, ut docent Sanch. de matrim. l. 3. d. 29. num. 16. Garc. de benef. p. 5. c. 8. num. 95. apud Laym. loc. cit. Item dicitur quandoque Comissarius. Sbroz. l. c. n. 11. citans Pavin. de pot. Capit. Sed. vac. p. 2. q. 10. in princip. Mandos. ad Reg. 14. Cancell. q. 6. num. 10. Item dicitur quandoque Vicedominus. Sbroz. l. c. n. 21. citans Abb. in c. 2. num. 3. ne Pralat. vices suas. Speculator. l. 1. tit. de Vicedom. &c. Item locum tenens. Sbroz. loc. cit. num. 19. citans Federic. de Senis. Conf. 302. num. 1. in fine. Covar. l. 4. variat. resolut. c. 20. num. 4. &c. Item procurator Episcopi. Sbroz. l. c. num. 17. citans c. petitio. de Procurator. & ibi DD. Gemin. in c. licet. de off. Vicar. in 6. num. 12. Plura alia nomina, quibus veniat Vicarius, vide apud eundem Sbroz. cit. q. 2. ubi etiam num. 23. ait, omnia hæc nomina, Ordinarius, Deputatus, Commissarius, Missus, Dominicus, Visitator & Suffectus, Substitutus, Procurator Episcopi, Oeconomus, Vicegerens, locum tenens, Vicedominus, dum de vicario Episcopi dicuntur, esse Synonyma juxta Jo. And. Rebuff. Diaz. Pazon. &c. idemque fuse probat l. 1. q. 7. a. n. 7.

Questio 19. Sub nomine generalis Vicarii Episcopi quinam veniant præter Vicarium propriè ac specialiter talem?

Respondeo: Venit imprimis Capitulum Sede vacante. Sbroz. l. 1. q. 3. num. 14. Tametsi enim illud propriè non dicatur Vicarius Episcopi, sed potius successor Episcopi, eademque cum eo persona. Sbroz. l. 1. q. 15. num. 4. juxta dicenda à nobis aliàs, inter Vicarios tamen Episcoporum numerandum est. Sbroz. cit. q. 15. num. 1. Numerantur quoque inter Vicarios Episcoporum eorum Coadjutores, utpote qui in pluribus eorum morbo ac senio impeditorum vices gerunt. Barbof. juris Eccles. l. 1. c. 15. num. 1. juncto. num. 6. Item Episcopi plerumque titulares hodie dum dicti suffraganei ab iis assumpti, ut vices eorum gerant in exercendis pontificalibus. Item Archidiaconi, qui à jure constituti, Vicarii nati Episcoporum dicuntur. Sbroz. cit. q. 3. à num. 15. Item Archipresbyteri Civitatenfes, qui quoque Vicarii nati Episcoporum dicuntur quò ad spiritualia quædam ministeria, de quibus in tit. de off. Archipresb. Sbroz. cit. q. 3. num. 18. Ac denique sunt Chorepiscopi: hi enim olim erant quasi suffraganei & Vicarii simul Episcoporum, quibus scilicet plurima cum Episco-

pis ministeriorum communis erat dispensatio. Barbof. loc. cit. num. 1. ubi, uti & c. 16. per totum. eorum, quod olim gerebant, munus & diversas species explicat.

PARAGRAPHUS II.

De constitutione, seu creatione Vicarii.

Questio 20. An & qualiter Vicarius generalis constituatur ab Episcopo?

Respondeo: Præter ea, quæ dicta sunt, quòd Vicarii quidam constituantur à lege, alii ab homine seu hominis factò, & inter hos sic Vicarius generalis Episcopi, de quo hic, constituitur seu deputatur hic Vicarius hodie dum ab Episcopo, & quidem solo, sine requisitione consensûs aut consilii Capituli. Barbof. cit. c. 15. num. 15. Sbroz. l. 1. q. 54. num. 1. Pirh. ad tit. de offic. Vicar. num. 28. Pax Jord. l. 12. tit. 1. num. 22. Azor. Instit. mor. p. 2. l. 3. c. 6. & c. 43. q. 2. citans Hostiens. in sum. tit. de off. Vicar. §. in quibus. vers. sed nunquid. Abb. in c. tua nobis. tit. eod. num. 4. Pavin. tr. de pot. cap. sed. vac. p. 2. q. 10. Rebuff. pr. benef. tit. de Vicar. Episc. num. 1. Approbaturque id ipsum consuetudine recepta, quæ in hoc servanda est. Azor. cit. c. 6. Pirh. l. c. Sbroz. l. c. num. 2. citans Bertach. tr. de Episc. p. 7. c. 10. Rebuff. ubi ante. Cuchum. Instit. juris can. tit. 8. de Vicar. Episc. num. 36. l. 2. Bero conf. 23. num. 4. vol. 1. Dixi hodie dum; quia olim necesse erat adhiberi consensum Capituli in creatione Vicarii Episcopi, ut satis indicat Sbroz. l. 2. q. 55. num. 11. ubi ait: Vicarius Episcopi non fit à solo Episcopo, sed cum consensu & auctoritate Capituli, & sic ab universitate, quæ in Capitulo & Episcopo consistit. Nec dicatur, quòd Vicarius Episcopi à solo Episcopo fiat c. 1. cum gl. ne Pralat. vices suas. & c. 2. de off. Vicar. in 6. quia, ut inquit Bero, per illa jura non excluditur Capitulum, à quo Vicarius de jure fieri dicitur. Vel responderetur secundum Bero, quòd illa jura loquantur de consuetudine, secundum quam hodie Episcopi adversus Capitula omnia jura, quæ ei competeant, usurparunt. Ut dicitur in c. ea noscitur. de his, que sunt à Pralat. sine consensu capit. Quæ consuetudine, ut per Sbroz. sic stante, hodie Episcopus non dat jurisdictionem Vicario, sed consuetudo, cujus auctoritate hodie solus Episcopus Vicarium facit, & ideo Vicarius olim à Capitulo & Episcopo, & sic ab universitate, & hodie à consuetudine habet jurisdictionem, & sic dicitur habere ordinariam.

Questio 21. An tam parvarum quàm magnarum urbium & diocesum Episcopi constituere sibi possint Vicarium generalem?

Respondeo affirmativè: nam præter Vicarios natos seu nativos Episcopi à catione deputatos (quales sunt Archidiaconi & Archipresbyteri) facultas constituendi Vicarium generalem conceditur simpliciter Episcopo, ut patet ex tit. de off. Vicar. in 6. Pax Jord. l. c. citans Rebuff. in pr. tit. de Vicar. Episc. Scacciam de judic. l. 1. c. 12. n. 12.